



**G**erardus natione Germanus à pueris bonis li-  
 teris operam dedit, & earum rudimenta foel-  
 liciter percepit. Postea ad varias academias profe-  
 ctus, liberalibus artibus & varijs linguis magna di-  
 ligentia incubuit, atq; præclaram sibi eruditionem  
 comparauit. Hisce studijs Theologiam coniun-  
 xit, atq; sacrarum literarum usum sibi familiarem  
 reddidit. Cum hoc modo sua eruditione & pieta-  
 te innotesceret, scripsit Theses professionis Catho-  
 licæ, unâ cum abusionum, superstitionum, hære-  
 seon, & schismatum, cuiq; Catholicorum fugien-  
 dorum, iudicio, cum alijs huiusmodi, atq; anno mil-  
 lesimo quingentesimo quinquagesimo publicauit.  
 Hise suis lucubrationibus Gerardus effecit, ut apud doctos sibi magnum no-  
 men compararet, atq; cunctis gratissimus fieret. Con. Lycosth, in Com-  
 pendio Bibliothecæ.